



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. VIII. Quidam, dicta nuptiarum die, à mortali sponsa ad immortalem desciscit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

funē necare non potuerat; telis conficere conatur. Verum, etsi crebri telorum cuspides in illum conijciēbātur; omnes tamen ictus Virginis iussu, irriti reddebantur. cum id non sine diuino numine accidere uideretur; eo tempore in homine inhumano spectata pietas enituit. itaq. benignè demissus est, dissolutisq. uinculis abiit: ne crudelitas in illum exerceretur, cuius salutem, ut ipse praedicabat, Virgo tuebatur. Neq. uerò tam immortalī beneficio affectus, ulla fuit in mora; quin statim quicquid uitae, singulari reginae clementia, dilatatum fuerat, totum eius filio piē, ac sanctè diceret. Quinimmo statim sibi delegit in coenobio purū, & integrū uitae genus, in quo maximè quotidie proficere nitebatur.

## MIRAC. VIRG. VII.

*Quidam, dicta nuptiarum die, à mortali sponsa ad immortalem desecit.*

**C**Lericus, qui unicè Virginem sanctissimā uenerabatur, quiq. in eam laudes mane, meridie, uespere, & noctu conferens, totus erat in sanctissimis obsecrationib., innumerabilium diuitiarū heres relinquebatur. Reliqua. n. proles parentes defecerat; qui praeter illum, neminem habebant, unde nouae stirpis genus reuocaretur. Cum illa parentes ipsi, & affines studiosissimis precib. egerunt, ut uxorē duceret, ne familiae illius nomen extingueretur. id sibi suaderi, atq. in animū induci, passus est; non. n. lubenter, sed ut suis rem gratam faceret, ad uxorem  
animum



animum appulit. Eo die, quo celebrandum erat con-  
nubium, ipse templum adiuit; & ad Virginem manus  
extollens, illam orauit, & obtestatus est, ut quas offe-  
rebat preces, benignè audiret, atq. exciperet. Ipsa ue-  
rò se iratam obtulit; & ita locuta est, egregiam uerò  
laudem; quàm pulchrè datam fidem praestas? quàm  
eximie quae pollicitus fuisti, nunc persoluis? te uni  
mihi dicaras, & adiunxeras, nunc aliam perfide super-  
ducis? His almae Reginae uerbis auditis erubescens  
iuuenis, ualde commotus est; & statim, quàm impru-  
denter faceret, uerè persensit. Domum igitur rediēs,  
simulansq., cum noua sponsa uelle nuptias perfice-  
re, noctu abiit, & ad summae sanctitatis, & spectatae  
famae coenobium se contulit; uitamq. ibi puram, &  
castam degit, sub purissima e, & incomparabilis spon-  
sae fide, ac tutela.

## MIRAC. VIRG. IX.

*A sacrorum administratione remotum sacerdotem, sibi  
deuinctum, Virgo restituendū iubet; episcopo, qui eius rei caus-  
sa fuerat, mortis supplicium comminans.*

**L**icet sacerdos quidam multarum piarum anima-  
rum custodiae, praeesset; ita tamen erat litte-  
rarū imperitus; ut praeter solemneis ritus rei  
diuinae Deo ad Virginis laudē faciendae, ignoraret,  
quae minimè desiderāda sunt in tāta dignitate cōsti-  
tutis. Ceterum sacrificia facere ad Virginis memoriā  
lōgo usu & exercitatione didicerat. imperitiae crimi-  
ne apud episcopū accusatus; ante quàm de se periculū  
fieret,